

Theol.

2540

488  
33

2541

# SAPIENTIA DEI

In Mysterio abscondita,

## NOVISSIMIS TEMPORIBVS reuelata,

A SANCTIS APOSTOLIS  
deprædicata,

AB ANGELICO DOCTORE NO-  
STRO D. THOMA AQVINATE  
in Tertia suæ Summæ Theologicæ  
Parte referata,

*Et in Comitiis Prouincialibus FF. Prædica-  
torum Landishutta in publicam disputationem  
producta,*

AB A. R. P. F. ANTONINO SAVR  
ORD. PRÆD. SS. THEOLOGIAE DOCTO-  
RE, EIVSDEMQUE IN GENERALI STUDIO CONVEN-  
TUS SS. Nominis JESV Bolsani Professore prima-  
rio & Regente, atq; in hoc auctu præside,

*Defendente*

R. P. F. ADAMO HAIM ORD. EIVSDEM  
SS. Theol. Studio.


Ad diem <sup>26</sup> mensis Iunij, horis pomeridianis.

OENIPONTI,  
EXCVDEBAT HIERONYMVS AGRICOLA.

1130

M+R

GERMANY





Adressen : *Montgomery Louis Bontemps*

Olin Library

Loyola University Library ACRC007

SERENISSIMO  
PRINCIPI  
**FERDINANDO,**  
MARIÆ, FRANCISCO,  
IGNATIO, VVOLFGANGO,  
*COMITI PALATINO RHENI*,  
*viriusq; Bauaria Duci,*  
Domino nostro Clementissimo.

Serenissime Princeps, Magni Maximiani Electoris Prima Proles.



A VID magnanimus, & Bellator Mauortius olim pugnauit, imo ut Ecclesiasticus c. 47. ver. 3. dicit lusit cum Leonibus, quasi cum agnis magnum fuit hoccè virium robur, atq; lacertorū fortium admiranda virtus. Pugnam aggredior, & valdè difficilem, quæ illa? cum Leone pugnaturus sum, in Theologica, in quam, Palæstra de magno & inscrutabili Incarnationis Diuini verbi mysterio disputare intendo. At non exhorrescit animus, tametsi hic Leo fortissi-

*mus sit, in Agnum enim per assumptam carnem admirabilis & diuina metamorphosi mutatus est, ut humana mortalitas, quæ ad auram post meridiem, & vocē Leonis in Paradyso, & alias non raro, tota exhorruit, cum agno luderet, & reatus admissi haberet baiulum, piacularemq; hostiam. Hunc tibi Leonē vellere agnino, hunc tibi Agnum pelle Leonina tectum Serenissime Princeps offero, munus ut reor gratum & debitum, cum Leonem tuis in armis habeas impavidum. Si pugnare libeat, Dux erit & antesignanus, si candorem & lacambias, habebis qui Te pascat & enutriat, innocentissimum Agnum.*

*Paucis expressi Thesibus, quæ de Filio Aeterni Patris Incarnato in hac pugna Agno-leonina dicenda sunt. Fau Serenissime Princeps vultu sereno, & certaminis longè gloriose adsta, indubius dico, & Tuus Leo in pugnam profiliat, pugnabit cum leonibus, & accubabit cum Agnis. Cape munus, quod Electorali Tholo Theologicum suspendo, manu benigna: forte Deus & tempus dabunt, ut grandioris Voluminis Theologici donum aliquando, meæ in Te tuamq; Serenissimam Pro sapiam religiosæ obseruantiae, Prædicatorij Ordinis, ac meorum debitæ clientelæ & obsequentissimi affectus testem offeram. Interea tuus nos Leo protegat, & fauo mellis, quem in ore, uti alter Samsonicus, habet, frui sinat: Te vero Diuinus aeternum pascat.*

*Viue, vale, pugna, vince.*



# SAPIENTIA I.

**S**ecundum Acrosanctum Dominicæ Incarnationis Sacramentum adeò excelsum est & sublime, ut omnem vim cognoscitiam naturalem intellectus creati & creabilis etiam Angelici, siue post siue ante realem sui exhibitionem longissime subterfugiat : proinde nec probabiliter virtute naturali intellectus creati attingi potest.

## II.

Neq; tamen pro hoc Mysterio tam excuso constituenda est alia quædam scientia ordinis hypostatici, distincta à Sacra nostra Theologia, sed ipsa S. Theologia in huius quoq; Mysterij contemplatione immoratur, nedum secundum communem & abstractam incarnationis rationem, sed etiam ut est incarnationis Verbi Diuini.

## III.

Deum proinde incarnari non solum est possibile, sed & conuenientissimum, siue respiciamus ad ipsum Deum, siue ad naturam humanam assumptam, siue ad genus humanum, siue deniq; ad totum vniuersum, cui ex Diuini Verbi Incarnatione noua perfectio intrinseca, minime tamen Deo, accessit.

## IV.

Fuit porro Incarnatio conueniens Deo, non tantum velut consentanea naturæ ipsius, sed vt proueniens ex principijs intrinsecis bonitatis, velut ex visceribus Misericordiæ Diuinæ. Non tamen idcirco absolutâ quadam necessitate, sed simpliciter libere ex gratuita Dei Voluntate & dilectione Incarnatio facta fuit.

## V. Ad

V.

Ad perfectam tamen, rigorosam, vel etiam condignam satisfactionem pro peccatis humani generis, simpliciter necessarium fuit Deum Incarnari; nulla siquidem pura creatura quantumvis sancta, potest, etiam per opera procedentia ex gratia, condigne, minus ex rigore Iustitiae pro suis vel alienis peccatis mortalibus satisfacere.

VI.

Hinc multò minus per opera alicuius puræ creaturæ solidis naturæ viribus facta, pro peccatis mortalibus condigne satisfieri potest Deo. Quamuis enim tale aliquod opus in satisfactionem pro mortalibus Deus acceptare posset, illud tamen nullâ ratione satisfactorium esset ex Iustitia quantumuis imperfecta.

VII.

Non tamen idcirco peccatum, siue originale siue actuale mortale est formaliter & intrinsecè infinitum in ratione mali moralis, quin immò simpliciter finitum est, solum quandam infinitatem obiectivam & extrinsecam sibi vendicans. Pro peccato tamen veniali condigne satisfacit homo per opera procedentia ex gratia.

VIII.

De facto etiam homo purus per actum contritionis quatenus ordine naturæ infusionem gratiae subsequitur, minimè verò prout ordine naturæ tanquam ultima dispositio eam antecedit, verè satisfacit ex Iustitia imperfecta pro peccato suo mortali, non solum quoad poenam, sed etiam quoad culpam, & ut est offensa Dei.

IX.

Satisfactio ergo Christi Domini secundum se & ex propria dignitate intrinseca fuit sufficiens, immò superabundans, pro omnibus offenditis totius generis humani, habens valorem simpliciter infinitum in genere satisfactionis, non solum ex

parte

parte rei oblatæ, sed etiam oblationis ipsius satisfacentis, quia  
valor non est ens rationis, sed reale morale.

X.

Eadem Christi satisfactio fuit actus Iustitiae specialis &  
propriè diæ: proinde non à Virtute Charitatis aut Religionis  
vel Pœnitentia, sed à Iustitia commutatiua (quæ in Christo  
non fuit eiusdem rationis cum Iustitia commutatiua nostra,  
sed altioris ordinis, nimirum Hypostatici) ad Deum proxime  
& formaliter eliciebatur.

XI.

Neq; ex Iustitia solùm, verùm etiam ex toto rigore Iusti-  
tiae fuit Christi satisfactio, à qua etiam omnis nostra satisfa-  
ctio valorem habet & efficaciam, adeò quidem ut opus puri  
hominis ex gratia per Iesum Christum acceptâ procedens, ha-  
beat cæteris paribus maiorem vim satisfaciendi, quam si ex  
gratia à solo Deo acceptâ procederet.

XII.

Si considerentur corpus Christi mysticum eiusq; mem-  
bra, quatenus ipsum Christum velut suppositum suum mysti-  
cum includunt, sic perfectè & condigne immò & ex rigore Iu-  
stitiae pro peccatis suis satisfacere dici possunt: secūs si consi-  
derentur quatenus præcisè mediâ causalitate Christo tan-  
quam suo capiti sunt conjuncta.

XIII.

Cum omnigena veneratione in proposito amplectimur  
sacra illa Symboli Nicæni verba, *Qui propter nos homines & pro-  
pter nostram salutem descendit de cælis, & Incarnatus est, &c.* Hinc  
si nulla hominum peccata extitissent, Verbum Diuinum in  
carne minimè venisset. Venit autem de facto & propter pec-  
cata actualia, & propter originale.

XIV.

Si in natura humana fuisset solum peccatum originale,  
nulla vero actualia, Verbum Diuinum ex vi præsentis decreti  
equi-

equidem in carne venisset in remedium solius originalis; secus si sola actualia mortalia & non originale, & multo minus si sola venalia extitissent, quantumcumque in plurimi vel etiam plerisque Adami posteris.

### X V.

Proinde etiam non fuit conueniens, Verbum Diuinum statim ab initio mundi ante peccatum primorum hominum Incarnari, neque verò etiam statim post peccatum, ne feruor fidei Christianæ temporis prolixitate teperceret: Neque tamen usque ad finem mundi Incarnatio differri debuit, ne notitia vienius Dei & morum honestas omnino aboleretur.

### X VI.

Consistit porro Mysterium Incarnationis non in hoc, quod per unionem naturæ humanæ ad Verbum Diuinum fuerit ipsa Humanitas in Diuinitatem, vel è contra Diuinitas in Humanitatem conuersa, aut quod ex utraque resultauerit una tercia natura; sed in eo, quod Humanitas fuerit assumpta ad esse Hypostaticum seu personale Verbi Diuini.

### X VII.

Quamuis persona Christi secundum se siue prout subsistit in natura Diuina, sit omnino simplex; tamen secundum quod subsistit in natura humana assumpta, est vere & propriè composita, tum ex duabus naturis, tum ex personalitate vel supposito Verbi Diuini & Humanitate, & potest Christus simpliciter persona composita appellari.

### X VIII.

Est & alia compositio in Christo, animæ scilicet & corporis, non enim Verbum Diuinum solam carnem sine anima assumpsit, nec Verbum vices animæ suppleuit aut ullo modo supplere potuit, etiam in ordine ad potentiam absolutam Dei. Est porro unio naturæ humanæ ad Verbum Diuinum substantialis, non accidentalis.

### XIX.

Creatio animæ Christi, productio Humanitatis ipsius, & eiusdem à Verbo Diuino assumptio, sunt actiones realiter distinctæ. Per assumptionem non fuit in Humanitate producetus modus aliquis substantialis, qui sit formalis vnio ipsius cum Persona Verbi, sed per seipsum immediate fuit Verbo Diuino Hypostaticè unita, & è contra.

### X X.

Terminus totalis assumptionis secundum rem ipsam nec est aliquid pure creatum, nec pure increatum, sed includit utrumq; Potest tamen simpliciter dici aliquid creatum vel increatum, secundum quod diuersimode per vocem complexam vel incomplexam significatur. Terminus formalis propriè est quid increatum.

### X X I.

Christus Dominus non meruit nec mereri potuit unigenitum suæ Humanitatis cum Verbo Diuino, siue quoad eius circumstantias, siue quoad substantiam: Neq; etiam meruit aut mereri potuit unionis continuationem vel perpetuitatem, nec deniq; ipsius restitutionem in gloriofa Christi resurrectione cum Humanitate secundum se totâ factam.

### X X II.

Sancti tamen Patres antiquæ Legis de facto meruerunt de congruo Incarnationem Verbi, non solùm quoad hunc effectum qui est apertio regni cœlorum, sed etiam quoad ipsam substantiam eiusq; circumstantias, & nominatim meruerunt Incarnationis accelerationem: De condigno tamen nihil horum meruerunt, nec condigne promereri potuerunt.

### X X III.

Proprium est Diuinæ Personæ propter eius infinitatem, ut in ea fiat concursus plurium naturarum secundum subsistentiam, & ideo nullum suppositum creatum potest ad sui subsistentiam assumere naturam alienam. Verbum Diuinum terminat per se primò naturam humanam non per subsisten-

quam absolutam, sed per propriam relatiuam. **X X I V .** omni modo & in modis  
Posset nihilominus hic Deus prout praetelligitur tri-  
bus Personis Divinis, immediate & per se primò assumere na-  
turam creatam ad subsistentiam Diuinam communem & ab-  
solutam. Natura careas omni subsistentia, propriā & Diuinā,  
non potest immediatè assumi à Deo ad existentiam Diuinam,  
benē si sit terminata propriā subsistentiā.

**X X V .** Potest etiam una Persona Diuina assumere plures natu-  
ras, quo casu non esset inter eas concretiè sumptas commu-  
nicatio Idiomatum prædicatione substanciali & per se. Pos-  
sunt & omnes tres Personæ Diuinæ assumere simùl eandem  
numero naturam humanam, quo dato omnes tres Personæ e-  
quidem essent unus homo simpliciter.

**X X I .** Non solum natura humana, sed etiam Angelicā, natura  
etiam irrationalis & insensibilis, siue incompleta siue com-  
pleta (solā materiā primā exceptā) absolute est à Deo assu-  
mptibilis: accidens deniq; à subiecto separatum, non idem in-  
hærens, vti nec natura substancialis propriā suā & connaturali  
subsistentiā ultimātē iam terminata.

**X X V I I .** Humanitas Christi non habet naturalem appetitum per  
modum actus secundi ad suam propriam personalitatem  
creatam, bene tamen per modum actus primi, & idē in reatu  
quo à Verbo Diuino dimitteretur, statim absq; noua actione  
in propriam personalitatem sese explicaret. Hæc locutio,  
*Filius Dei assumpsit hominem*, impropria est.

**X X V I I I .** Verbum Diuinum assumpsit verum corpus, non Diuinum,  
non cælestē, non aëreū, sed terrenum & humanum ex  
carne & sanguine constans: Hinc sanguis naturalis, ut pote  
vera

**v**era & actualis pars humanæ naturæ, fuit Verbo Diuino hypo staticè vnitus, secùs nutrimentalis, qui tamen & ipse fuit infiniti valoris ex parte effundentis illum.

### XXIX.

Non solum corpus, sed & animam Verbum Diuinum assumpsit, & in anima intellectum, qui tamen non fuit Verbo vnitus hypostaticè. Secluso Virtute Diuinâ Intellectu ab anima Christi, ipsa nihil intelligeret, cum nec Verbum Diuinum per seipsum vices intellectus suppleret, nec anima per se & immediate intellectuionem producere possit.

### XXX.

Assumpsit porrò Verbum Diuinum tum ipsam Humanitatem, tum partes eius ordine quodam, adeò ut & totam Humanitatem mediantibus partibus, & carnem mediante animâ assumpserit. Neq; tamen anima respectu carnis, nec corpus & anima respectu totius Humanitatis fuerunt medium

*Quod assumptionis, sed medium Quo  
tantum.*

**DEO GRATIAS.**

